


V
B J
C

THESEUS DIVINIOR

E Labyrintho Captivitatis
Hominum LIBERATOR

D. JOANNES DE MATTA,

Sacri Ordinis Redemptionis Captivorum

PATRIARCHA;

In Ædibus Sanctissimæ TRINITATIS,
P.P. Ejusdem Ordinis Casimiriæ ad Cracoviam,
Recurrente suæ Festivitatis die,
Amplissimæ Hospitum Coronæ,
A
M. ANTONIO STANISLAO WOYCIECHOWSKI
In Alma Vniversitate Crac: Philosophiæ Doctore & Professore,

Stylô Oratoriô DEMONSTRATUS.

Annô quô,
Redemptor Captivi Orbis in terras descendit. 1733.
Die 8vâ Mensis Februarij.

CRACOVIÆ TYPIS VNIVERSITATIS.

In Stemma Gentilitium ILLUSTRISSIMÆ DĘBSCIORUM DOMUS.



Sacrum VEXILLVM dum claro Stemmate gestat,
Conijcitur; quòd sit DĘBSCIA Sacra DOMVS.
Sacra DOMVS, complexa Joves Martesq; Polonos,
Non sibi sed Patriæ multa trophæa gerit.

ILLUSTRI ac MAGNIFICO DOMINO

D. CASIMIRO
De DĘBE
DĘBSKI,
ENSIFERO CERNENSI,
Domino ac Mecænati Amplissimo.



GLoriosus Victor, Cælesti redimitus laureolâ Triumphator, in forma Oratoria Spectatori mentium eruditarum oculo præsentatus THESEUS D. JOANNES de MATTA, dum ad piorum votorum instantias in publicum prodit, sub Tuum Gentilitium se confert Vexillum. Illustris ac Magnifice Domine, D. Mecænas Amplissime. Assuevit Hic Cælesti militiæ Heros, ast Qui in terris Viator mortalium libertati adesse solebat, etiam Comprehensor in Schemmate THESEI adumbratus, Tibi Polonæ libertatis delicio promptus adest. Nec pudet hunc D. Victorem sub Tuo militare Labaro, sub quo & honor Antesignanum, & ipsa Victoria Vexilliferam agit. Immò ut etiam Poloniæ Victor manifeste-

tur

tur IOANNES; Tuum arripit Vexillum; ut triumphet. Si Sacer est Hic THESEVS, utiq; non errat; dum sub Avito Tuæ DOMVS consistit Vexillo, quia Sacro. Ita Cælum triumphos Ecclesiæ Tecum dividens disposuit, ut etiam Divorum victrices palmæ Gentilitio Tuo adjungantur Signo; sub quo Virtutum agmina, rectefactorum computus, Cælitùs remunerandæ dotes, & amplissimus Honorum catalogus, Commilitones agunt. Recurrit luce annua Captivorum Redemptor, & eô ipso se Triumphatorem probat, dum Soli publico cum Tuo præsentatur Vexillo; quod erigere, satis Poloniæ ad Victoriam. Quotquot hoc sub Signo numerantur Viri, tot feliciores recensentur Alexandri, pro Patria, pro libertate fortes Ajaces, & Achilles. Quis color huic Vexillo sit? ab Annalium testimonio pendet, ego in Illo, & niveum in candido boni Publici amore, & violaceum in cultu Cælituum & Ecclesiæ tutamine, & rubeum in profuso ex cæsis hostium collis cruore; in tot redivivis Martibus, in tot zelosis pro Fidei & Patriæ honore reperio DĘBSCIIS. Sacrum est hoc Signum, aliàs nunquam profanatum, cum primæva in Orbe Lechico erectum Fide. Hic DĘBSCIANVS RADWAN, in publica, ablactatæ alibi Fidei in Sarmatiam introductione, præferebatur. Materiam Ejus non inquiro, si tamen requireretur qualis sit? aureum esse dico, toties pretiosissimâ DĘBSCIORVM vitâ æstimatum, toties igne Martiali, ferventi pro Superis zelô, probatum. Nequaquam solus Gradivus sub hoc Signo in dexterrimis DĘBSCIIS perennaturis sæculis memoranda recenset trophæa, triumphat etiam sub Illo Sacer, quia Ecclesiasticus honor, in Celsissimis, Illustrissimis, Tuis Mecænas Amplissime Atavis, Patruis, Episcopis, Suffraganeis Cracoviensibus; in Quibus Virtus victrix, Pietas triumphatrix, semper votiva in Templo DEI cecinêre Celeusmata. Illi, suô

sæculô

ſæculo Aárones, DEI *Patriæq; Nomen coram Gentibus & Principibus portantes, Senatorijs Purpuris authoritatem, Cælo ſolatium, Vavellanis Coronis pretium addidère; DOMUS perennantem gloriam, probitati felici expectata præmia, Clero delicium, Sacris Areopagis prudentium conſiliorum vires, adauxère. Vas electionis, Coronarum Vavelli Unio*, PAVLVS DĘBSKI, primùm Canonicus, poſt Epiſcopus Làodicenſis, & Suffraganeus Cracovienſis; *tot Panegyribus dignus, quot factis perennat. Ob eximia merita* Eminētiſſimo Principi, Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo GEORGIO RADZIVILIO S. Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Epiſcopo Cracovienſi *facilè charus, Qui omnium merebatur affectus. Poſcunt ſua in elogia Stylum PAULUS & MARTINUS* DĘBSCII, *Qui hoc ipſo charactere, quô Electionem* VLADISLAI IV. *Poloniarum Regis, ſubſcripſerunt; quanti fuerint, poſteritas legit. Io triumphe canit* DĘBSCIANÆ DOMVI *Themis Regio-Academica, cui nè pretium juſtumq; pondus ad libram deſit*, DĘBSCIANA *providit liberalitas, inſignem de Sortibus ſuis portionem. Habuère tempora Illos* DĘBSCIOS, *quorũ Vertices in Vavello Infulatos, qualibet Tiarâ majores, qualibet dignitatis ſublimitate celſiores, quovis gradu honoris eminentiores, ſupra laudum encomia, ſupra gratas Cælis pro tantis Præſulibus populi voces, elevatos vidère. Invidebant ſibi Cathedræ* DĘBSCIOS, *Vavellus tamen triumphavit, dum in illo Tiaratus honor* DĘBSCIANV Merexit *Vexillum, ſub quo vota fecit, ampliùs & ampliùs ſe huic militaturum DOMUI. His in Senatu Proceribus, in Cathedra Antiſtitibus, his Legum Patriæ Lycurgis, Eccleſiaſticæ immunitatis Columinibus, æmulâ Virtute auxeſim gloriæ appoſuit* Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus, IO-

 ANNES

ANNES DE DĘBE DĘBSKI, Episcopus Belinensis, Suffraganeus Præmyslienſis, Tuus Mecænas Amplissime Patruus. *In Illo compendiata* DĘBSCIANÆ *Virtutis epitome, & reducta in protensum calculum Rectefactorum summa, innatarum qualitatum, & pertinentium ad decoramentum DOMUS Generosæ mentis speciminum Encyclopædia, decentiùs quàm in nucleo Ilias clausa, resplendebant. Non pœnituit naturam, quòd raras dotes concredidit* DĘBSCIO, *quibûs ita utebatur, ut sibi gloriam Patriæ reliqvisset memoriam. Non pœnituit Lucinam, quòd Hunc in* DĘBSCIANIS *deposuerit Cunabulis, quòd in tanta educaverit DOMO, Quem postea sacrâ decoratum Tiarâ adoraverit. Non pœnituit Cælum, quòd selectis in Eum egerit influentijs, à Quo mille in quolibet vitæ momento reciproca recipiebat solamina. Nec Nomen JOANNIS habuit sinè convenientia, Qui totus gratia fuit. Supra omne pretium assurgere deberet dictio, si quantus fuerit* Illustris ac Magnificus Dominus CHRISTOPHORVS DĘBSKI, Pincerna Lydensis, Pater Tuus; *ostendere vellet. Ille sui ævi sæculum aureum fecit, qui moribûs, eruditione mentis, in Patriam; benefactis in Ecclesiam, aureus erat. Regrediamini anteàcta sæcula, revertimini annorum trieterides, dicite; quis & qualis fuit* DĘBSCIVS? *Fuit DOMUS suæ Insigne Decus, Aquilæ Lechicæ verus toties in publico grandium negotiorum sole probatus Pullus, posteritati memorandus, Patriæ amor, Sapientiæ Musæum, Vestalis Pietatis Ara, Propugnator Veritatis, Tutor Justitiæ, Polonæ Majestatis Corculum, Senatûs Ocellus, fuit Vir mentis magnanimitate, cordis dexteritate, virium fortitudine CHRISTOPHORUS; etiam post fata factis heroicis, quibûs implevit fastos, vivere & perennare non cessat. Evolaret in*

Ejus

Ejus ampliora encomia calamus, sed pondere Rectefactorum Ejus ad ima premitur, ad tanti Nominis venerationem inclinatur, nec ampliùs verba fundere tentat, ubi ad Te cum humili Stylo Mecænas Æstimatissime, *amandatur. Frustra Patrem Oratorius depingit color, cujus Tu viva Imago ades, Tuorumq; Aborigenum Compendium. In ostijs laudis Tuæ obviat gradationi Oratoriæ* Illustrissimus *STANISLAUS CZOSNOWSKI* Castellanus Varsaviensis, Tuus, Mecænas Gratiosissime Avunculus. *Hic in Senatu publicæ Fortunæ Faber, & facundissimus pro libertate Orator, ita semper egit STANISLAUS, ut nunquam caderet, sed semper esset Poloniæ stans Laus. Ita suum Gentilitium erigebat Vexillum, ut sub Illo ipse Mars militem ageret. Ferrô aureos comparabat triumphos, & bellicîs ignibûs Victoriarum meridiem accendebat. Palmam detractis hostium capitibûs, laureîs vota publica coronabat; Ipse peripheriâ æternitatis redimitus. Taceo venerabundus DOMUS Tuæ Purpuratos Proceres, Patriæ Patres; Illosq; Heròas, quos fama sub æthera tollit, non enumero. Tu tenui calamo meta es,* Illustris ac Magnifice Domine, Domine Mecænas Gratiosissime. *Si arborem Familiæ Tuæ inspexero, Tu Vertex es, si DOMUM Tuam Corpus dixero, tu Frons es, si Regiam Sapientiæ adoravero, tu Columna es, si Clientalem Tui ipsius de Te Mecænate meo scientiam sepiâ Typographicâ expressero, Tu illius totale objectum es. Ad Te universa laudum periodus ut devolvatur, necesse; Qui Rectefactorum centrum es, Heroum magnorum Exemplar. In flore ætatis Tuæ illos præferebas fructus, qui publicos aptabantur in usus. Sub Pallade egisti Theopompum, & vix in Arena Scholastica scientificum consummasti cursum, Te Bellona spectavit Achillem: Quocunque Gentilitium prætulisti Vexillum, ducere legiones videbaris, qui-*

 bûs

bus Patria defensa fuit; cujus ut integritatem servares, Te totum impendebas. Sensit manum Tuam hostis, eamq; dum sustinere non potuit, victus ex acie non semel cessit. Sævijt quidem in manum Tuam vulnere, sed ipse non unum amisit caput. Læsa manus, hosti victrices eripuit palmas, & Patriæ triumphales laurus adportavit. Polonus Scævola dici scribiq; mereris, qui amore Patriæ ignibus Martialibus injecisti manum, & omnem felicitatem publicam funesto ab incendio eliberare curasti. Palma hæc mille digna palmis, quæ pro bono communi optimè novit decertare. Purpurâ hanc Manum Patria tenetur decorare, quæ cruorem pro ejus incolumitate fudit. Tenetur altos honorum Fasces porrigere & inserere manui, quæ ipsam à fatali casu elevavit. Adhuc Mecænas Amplissime, *Bellonæ Sarmaticæ dextra Manus es, Patriæq; Defensor. Non tibi manûs sed cordis vulnus esset, si pro Aris & Focis continuò non certares. Erectum est Vexillum Tuum, Te paratum ad quævis negotia spondet; animô semper magnanimô, & ad quamvis ferendam fortunam generosô. Domi Tibi præstò consilia sunt, quia summô judiciô polles. Omnes Tecum circumfers Virtutes: in adversis constantiam, in prosperis moderationem, in cunctis actionibus regulam servas. Scis illam administrare justitiam, quam meliùs ipsa non solet administrare Themis. Scis fortunæ muneribûs uti, estq; Tibi respectus in omnes. Obligata perenni paupertatis voto Religiosorum Claustra Tua munificentia subintrat, & nè inopiâ coarctentur, provides necessaria. Tantus es Servorum DEI Amator, ut quidquid Fortunæ Tuæ est; Illorum esse facias. Verè novus sed Cælô dignior crederis Archimedes, dum ex multiplicatis, benedicente Superûm gratiâ Tuis proventibus, Te ipsum semper, etiam non requirentibus, facis Divisorem. Nè videretur Tua largitas sub Regula esse, etiam ad publicas Divorum egreditur Ædes. DEI Nutritius* D. IO-

SE-

SEPHVS *ex suo etymo accrescens Filius,* T*uâ piâ liberalitate in Parochiali Ecclesia Luborzycensi dum sibi Altare dicatum habet, novam sui honoris auxesim è sydere cernit: Sacellum, quod in Xiaznice honori Conceptæ sinè labe originali* MARIÆ *erexisti,* T*uæ Pietatis monumentum est. Hoc Mare gratiarum MARIA peccaminosæ salsedinis expers,* T*ibi omnes, quæ mortalibus accidunt, dulcorabit amaritudines; & intentionum* T*uarum proram ad bèátæ Spei deducet promontorium. Hæc Castrorum Acies ordinata, gaudet sub Gentilitio Vexillo honorem suum, triumphum habere. Revixit in Te bîs temporibûs vetusta Mystarum reverentia, quam Regali exhibes Sacerdotio. Has in* T*e publico Virtutes, quas maximè abscondere cupis, arduis concessam rebus in agendis prudentiam, oris cum corde conformitatem, in dicendo quà privatim, quà publicè veritatem, ferventem, pro honore DEI, pro juvandis concurrentium ad Te miseriis, pro amore Patriæ, zelum. Hæc probitatum specimina Cælestem dixerim ignem, quem quò magis in sinu pectoris* T*ui comprimis, eò magis erumpit in apricum. Reticere hic non possum* Illustrem ac Magnificam Dominam, MARIANNAM de STRZESZEWSCIIS Conjugem Tuam, Te *Numâ dignam Pompiliam, Quæ & vitæ Christianæ Regula, & pietatis Exemplar, & compendiatarum Virtutum Synopsis; juremeritò nominanda. Tres Gratias finxerunt Pòëtæ, Illa longè pluribûs decoratur, in Ædes Sacras benefica, in Xenodochia munifica, mente Cœlis contermina, benevolentiâ in omnes certare solet. Gratiam styli meretur* Illustris ac Magnificus Dominus, IOANNES de Dębe DĘBSKI, Tuus Mecænas Amplissime Germanus, *Qui sicut totius DOMVS gloria, ita & Virtutum viva Ideá colendus. In Illo innata modestia, profunda humilitas altum tenet, quâ sicut honorum culmina,*

 ita &

ita & laudum quarumvis tanto Viro competentium, superat amplitudinem. Ea vestigia Arenæ Martiali impressit Heros, quibus nisi magni Heroës procedere solent. Aquilis Gradivi quibus prævolavit, semper certa victoria fuit. Magnanimitate animi præcellens, honores, qui suis debentur meritis, recusat; satis ad gloriam censet: mereri honores non habere. Complet hanc exiguã paginã, qui Vestrûm Magnorũ Parentum Corona est & cordis delicium, Illustris ac Magnificus Dominus STANISLAVS de Dębe DĘBSKI Ensiferides Cernensis, *Ille votorum Tuorum* Mecænas Amplissime *desideria, & expectationis tædia, præcocibus animi Virtutumq; jam coronat qualitatibus, votisq Tuis sat respondet: dum in publico Lechiæ Athæneo, in Generali Regni Sarmatici Jagellonica Schola Theopompus, omnigenæ exemplaritatis ex se Scholam facit. Commendet se Ipse, encomia sua secum simul Paternæ Tuæ ingerat menti, gravitatem præter annos Tuis subijciat oculis, laudent Eum alij; mihi satis ad gloriam est: magnanimam Ejꝰ indolem spectare, dotes quibus præcellit æstimare, animum magnorum capacem admirari. Demissior in Tuam* Mecænas Amplissime *venerationem penna subire merebitur pœnam, si illos non innuerit, qui ab alto Sangvinis nequeunt separari. In magna DOMUS Tuæ Tuiq honoris incidit lumina, & prævio cultu* DOBINSCIOS, TVRSCIOS, OBORSCIOS, MICHAŁOWSCIOS, STRZESZEWSCIOS, BALICCIOS, NOWICCIOS, PEŁCZYCCIOS, JASMANICCIOS, PEŁKOVIOS, SVFCZYNSCIOS, KALINSCIOS, LIMIEYSCIOS, GRZYMAŁOVIOS, OLSZEMOWSCIOS, ZIELINSCIOS, STRZAŁKOWSCIOS, PAPROCCIOS, WYCZAŁKOWSCIOS, MAKOWSCIOS, STAWSCIOS, ZAWISZOVIOS, WVJANKOWSCIOS, ZVROWSCIOS, KVRZEWSCIOS, *veneratur: sed Illis alijsq plurimis elogia ferre, non tenuis calami est. Addo decoribus decora, aurum auro, dum tot DOMVS Tuæ Heroibus D. adjungo THESEVM, Barbarorum Victorem, Tibi Polono dedico Marti. His Sacratior THESEVS, Captivorum Liberator, Cœlum ad Tuos obligabit successus, quos fortunatissimos cum amplissimis honoribus in longævos precatur annos.*

ILLVSTRIS AC MAGNIFICÆ

DOMINATIONIS VESTRÆ,

Devinctissimus Cliens

& humillimus Servus,

AUTHOR OPERIS.



ORATIO.

INnumerîs mancipati ambagibûs mortales, irruentibûs malorum undiquè circumdati casibûs hactenus Evictorem ignoramus, quô prodromante ex Labyrinthea servitute in planum aureæ libertatis eluctari sciamus, AA. Orbis hic verè Labyrinthus est, quotquot Incolas, tot fermè servos & captivos habet. Quotquot pericula in suo ambitu fovet, tot obstacula mortalibus vovet, & sinuosîs infortuniorum anfractibûs ligat, ligando mancipat, mancipando constringit. A primo statim vitæ nostræ exordio sæpenumerò exodium patimur, non plus ultra processuri. Aut si vitalem spiramus auram, necdum meridiantem conspicimus solem, jam ærumnosum occasum experimur. Reptare dum incipimus, in pericula incidimus, ex illis nunquam evasuri. In provectiori ætate nulla dies sine linea, quâ catervatim conjurata nobis non insultent mala, nemini non struentia te-

chnas. Terrâ Marîq; pergamus auream libertatem quærentes, nec hîc nec ibi securi. Hinc mille Acroceraunia prostant, illinc insidiæ vitæ, hinc voraces Scyllæ metuendæq; allatrant Charybdes, illinc dolus gravisq; riget Erinnys. Per tumidum Tridentiferi Neptuni navigando Æquor, verendum est; ne insolentibûs Tethydis fluctibûs submergamur. Mulcent quidem pectora auresquè oblectant svavissimi Syrenum concentus, sed quoties dulce occinunt melos, toties quamvis peritissimos occidunt Vlysses, aut cum Pyratis ad sævum trudunt interitum. Inflammatâ Colchici velleris cupidine per profundum navigantes Oceanum Iasones, ubi beatas supponunt esse Insulas, ibi in Syrtes aut flammivomos incidunt Dracones. Tantîs monstrorum spectaculîs & formidandîs naufragiorum perterrefacti spectrîs, linquamus pellucida Neptuni Regna, ne spumantibûs obruamur undîs; ad Serenissima Regum divertamus solia, solidius quidpiam spectaturi. Nonne alto subselliorũ fastigio imum insultat fastidiũ? ita est: & augustam Majestatem angusta circumstant molimina rerum, & meridiantes Titulorum soles, umbram post se, aut persæpè occasum interitûs ducunt. Ornant lacertos Sydoniô murice tinctæ Regum purpuræ, in his tamen insidiarum textura latet, & hîs filîs ex quorum materie efformantur Dibaphæ, retia pericula tendunt. Fulgent pretiosis Coronæ lapillis, sed non sine pondere Gestatorum. Imò Sphærica rotũditate vertiginẽ non rarò imprimunt Regibus, nè magnis obsessi curîs ex Curijs effugiant aliquando. Assistunt lateri cataphracti Mili-

tes,

tes, ſed ijſdem Armîs, quibûs Monarcharum cuſtodiunt vitam, mortem minantur, & in eorum cervices ferientia acumina vibrant. Gaudent profectò ampliſſimîs Regnorum finibûs, quid prodeſt? dum ultra horum limites, progredi non audent, nè armiſono in ſpolium cedant Gradivo. Quotquot populos ſub ſuo Regimine tenent, tot ſuæ libertatis obſtacula vident. Gaudent opulentiſſimîs ærariorum gazîs, ſed horum copiâ maximè inopes fiunt, dum ex fulvo cui dominantur auro, ipſa metalla formoſos obtegunt laqueos, ex quibus Lemniacus Mulciber vincula cudit. Si ad ſuam libertatem invinculati Reges, ergo quid cum populo agatur tranſlatio fiat. Poſiti inter incudem & malleum mortales ferè ſolius infortunij mancipia ſunt, quorum vita invita ſub ingentibus gemit preſſuris. Hinc ad exteras Nationes pergite, ego vobis gradatione Oratoriâ famulabor. Quam dira ibi inveniuntur mancipia, quæ in compedibus Barbarorum gemunt. Querulantur miſeri devota ad Superos moventes ſuſpiria, ut tandem aliquando ex Labyrinthea Barbarorum ſervitute liberentur. Fundunt denſas ab oculis lachrymas, ut tantô lachrymarum proſſuviô, ad fortunatum votorum adnavigent promontorium. Arrectîs cum ſummo tædio auribûs, auream præſtolantur Redemptionis horam, ferrea vinculorum ſemper numerando momenta. Sed quousq; tandem alta pro Eliberatore veſtro ad Cælos mittetis ſuſpiria invinculati mortales? Quousq; ferream patiemini ſervitutem? Ergone jam in Captivitate Barbaro-

rũm detenti optatis non potiemini votis? Ergone tenebroſo incluſi carceri Evictorem veſtrum ferrea ſolventem vincula ignorabitis? abſit. En adeſt IOANNES DIVINISSIMUS de MATTA, qui veſtros ejulatus ſedabit, areſcentem fortunæ veſtræ florem lætiori coronabit eventu, & ferream ſervitutem in auream tranſmutabit libertatem. Hic enim Sanctior Evictor eſt, qui totam vitam in eliberationem Captivorum impendebat, innumeras hominum turbas à vinculis ſolvens. Et non tantùm ſolus huic officio deditus, ſed adhuc Sacrum Ordinem Redemptionis Captivorum inſtituit. Ergo Theſeus è Labyrintho captivitatis mancipia hominum evincens ulteriori dictionis tractu declarabitur. Permitte Liberator Captivitatis humanæ Te gradatione ſequi Oratoriâ, & non tantùm libertatem dicendi, ſed & felicem tractui Orationis indulge exitum. Agnoſcetis Sanctiorem THESEUM AA. dum ſtupendis Ejus factis benevolam attentionem concedetis.

Adumbratum ſub Allegoria Theſeum IOANNEM D. antequàm obtutui Veſtrûm præſentare intendam, priùs quis fuit Theſeus? liceat enarrare AA. Fuit ille Ægei Athenarum Regis Æthræq; Matris genuina propago, Ingenuus Magni Pandionis Nepos, cui ad domandos irruentium malorum inſultus, à Superis fuerat conceſſa poteſtas. E Regio Theſeus deſcendens Toro innata dexteritate excelluit, in eliberandis tamen mancipijs maxima documenta monſtravit. Adhuc Iuvenis ope Dædali mirîs ambagibûs, exſtructo

Laby-

Labyrintho inclusos novit liberare Cives, sublatô è vivis Minotaurô, triumphavit. Ailnoldi querimonijs ductus, dulce levamen senijq; solatium Filiam Proserpinam de Phlegetontea captivitate eduxit, liberavit. Aoniam Vrbem ingentibûs stipatam malîs resolvit, melioribûs eandem obstringendo Legibûs. Sed meminerit sibi hoc Commentum prisca vetustas, veriorem THESEVM D. IOANNEM de MATTA reptabunda Oratoris veneretur dictio. Prodit quidem in lucem feliciori Luciná, non Ægeó, nec Æthrá, sed excellentiâ Nobilitatis, præstantiâ pietatis magnîs, Virtutibûs maximîs Euphemiô de MATTA, & MARTHA Massiliensi Parentibûs D. IOANNES, sed quid dico prodit, corrigo linguæ errorem: nondum prodit, iam mancipia hominum evincens, toti declaratur Vniverso. En solicita Mater ipsô Nominis etymô MARTHA, dubio de prole futura anxia eventu, pîjs Virginem Beatissimam impetit precibûs, Delphicô Tripode verius ab Hac, Quæ Veritatem portavit audit responsum, *Ne metue; paries Filium industriâ vinctorum Redemptorem.* Hic obstupescite prodigium. Nondum Orbis adoraverat IOANNEM, iam à Cælorum Regina Angelicô stipata satellitiô THESEVS appellatur: Nec mirum THESEVS est, Materno inclusus carceri, Sanctioris Ariadnæ MARIÆ filô gratiæ, ut in publicum prodeat, necesse. Nascitur tandem Cælo ita volente IOANNES D., quem ipsa militans in terris Ecclesia Sanctiorem præsagiens THESEVM, & sui futurum cognoscens Achillem, in lætos resolvitur plausus. Tunc dum

in Odæo Sacro Veſperis Euphemio vacanti, tanta Prole digno Parenti de ortu Divinioris THESEI renuntiaretur, his alludens verbîs: *Redemptionem miſit populo ſuo.* O inauditum Nativitatis præſagium! ô præſagam Diviniſſimi THESEI Nativitatem! quam Alma Parens Eccleſia Redemptionem indicat populi. Et benè Redemptor Captivorum naſcitur, eô ipſo THESEVS approbatur, Cui evincere hominum mancipia adhuc in utero Superi indulsêre. Falcone Oppido Hæreditario in Comitatu Nicenſi natus, verus intaminatæ virtutis & piæ dexteritatis Comes. Stupendus Infans necdum reptare ſcivit, iam contra infanda nefandaq; ſcelerum monſtra conſurgere novit. Vt promptior in dimicando appareat THESEVS, maximam eſſe artem ſeipſum vincere ratus, ſtato tempore, pendulus adhuc ubera recuſat, nè blandientibus captivetur lenocinijs. Tanto facinore toti Vniverſo inclaruit notus, quòd ad eliberanda mancipia fuerit natus, dum priùs ſeipſum vincere novit. In pubeſcenti ætate, ubi alij intra domeſticos ſibi cupiunt indulgere lares, & puerilibus exambiunt oblectari crepundijs, hæc ſeptennis ſpernit IOANNES, ut in aprico monſtretur, Arenam petit Literariam, primò cum hoſte ignorantia certaturus. Annuunt votis Parentes THESEVM autumantes, nè ſegni corrumpatur otiô, ad percurrendum Scholaſtica ſtadia cum ſtudio remittunt. Siſtit fauſto omine in Aquis Sextijs D. IOANNES, quem vix ſalientibûs rivîs dulciq; modulamine Aquenſes ſalutavêre Muſæ, illico ſuum Apollinem cecinêre

IOAN-

IOANNEM, non tantùm pharetratô armatum arcu, ſed ſcutô illibatæ virtutis adoravêre ornatum. Tripudiat Aquenſis Academia, magnanimum in tenera ætate conſpiciens IOANNIS animum, & reſolutum ad quævis ſtudia obſervans ingenium, Hectorem ſuppoſuit; ni ex Gentilitio Inſigni & virtutum Encyclopædia veneraretur THESEVM. Iunxit ſuas potentias virtuti, ut his unitus fortior videretur. Scholaſticum aggreſſus certamen, vix cum noxia mentibus ignavia dimicavit, jam Victor evaſit. Quò frequentiùs coram ſupremo humiliabatur Numine, eò fortior aſſurgebat ad pugnam. Mirantur Magiſtri tantam prudentiam IOANNIS, ſtupent non ſine invidia Ejus promptitudinem còætanei; unde tam ingens in ſuperandis difficultatibus' dexteritas emineat in *JOANNE*? Aſt non miremini Magiſtri, nec vos invidete Compalæſtritæ, Palladem pietati adjunxit, ergo ſemper triumphare debet. Peractîs octo feliciter annîs in eruditis Olympijs, nè vocalis Ejus fama, quam Aquenſia flumina ſuâ elevaverunt voce, magnis onuſta laudibus', aliquando periclitetur, in Eremum contendit. Sed quorſum contendis D. IOANNES? en Sextiæ, quæ Te ſuum profitebantur Apollinem Camænæ, dulciſonos concentus in amaros tranſmutant planctus. En Aquenſis Academia, Te, ipſi grata Halcyonia ſpirante, in diluvia exundat lachrymarum. En dulciſſimi Parentes poſt tantam in Arena Literaria victoriam, ignes Tibi accendere conantur triumphales, Tequè Hymenæi Daphnide coronare e-

 xam-

xambiunt. Subsiste parumper, sociam vitæ habebis, quæ sudoriferam Tui frontem leniet, & lassatas in Arena Literaria dulci consortiô recreabit vires. Definite *JOANNEM* hoc in passu mæstissimi Parentes, scit quid facit *JOANNES*, nè domestico succumbat otio, fugit Danaos aurea sibi dona voventes. Recusat Hymenæi plausus, ne cum Hercule Olymphalis irretiatur lenocinijs, in Eremum properat; tutior ibi mansurus. Nec ibi absq; æmulo *JOANNES*, ubi sinè certamine vivere sperabat. Sævus Principis tenebrarum Assecla, quòd apertô Marte cum D. *THESEO* confligere non valuit, Condiscipuli fingit speciem, ut in spelæo eludat *JOANNEM*; sed ipse elusus. Cognovit insidiantem vitæ suæ Averneum, quem non verberibûs, sed verbîs edomat: *Vade Satana.* Cùm ergo solus non suffecit potestati *JOANNIS*, Stygiam contra Ipsum cohortem urget, ut cæco impetu in *THESEUM* irruat, vires Ejus probaturus. Falleris tuo fraudulento conatu innocentis insidiator vitæ. Novit utiq; hæreditaria Plutonis Sedes, quam commentitius impetebat *THESEUS*; *D. JOANNEM* veriorem *THESEUM* crede, qui tuos confringet impetus, & te sui captivum ducet in triumphum. Factum est quod dixi: toto anno in Eremo decertans *JOANNES*, omnes Erebi præstigias vicit, fugavit, dissipavit. Ex tanta dexteritate in Eremo probata innotuit *D. THESEI* Nomen supremo Numini, Cujus instinctu impulsus, superatîs Inferni monstrîs, ad propria redit. Eflagitatâ cum recommendatorijs Parentum veniâ, re-

velataq;

velatâq; ordinatione Superûm, ut ad majorem DEI gloriam & animarum salutem se altioribus traderet studijs, Lutetiam ad Vniversitatem Parisiorum celeberrimam transmitti petit, majora ibi suæ dexteritatis documenta in publico daturus. Quid agis D. IOANNES? sat utiq; vocalis Tua in deserto resonat victoria, quam erectæ, dum loqui non possunt, nutu demonstrant arbores. Pertingit Stelliferum imperfracta Tui animi Olympum fortitudo, (cujus Angeli testes,) quâ præter Tui, quam jejunijs macerasti carnem, ipsum etiam Acheronta vicisti, debellâsti. Audit, sed dictis non insistit *JOANNES*, dum etiam ipsos precibûs convincit Parentes, recommendatorias recipit, Lutetiam pergit; vel ideo: ut in regno Sapientiæ altioribûs scientîjs instructus, mancipia hominum è Labyrintho captivitatis arte & Marte evincere sciat. Sed habet Iupiter in quod fulminibus urgeat, nec D. THESEO deest, quod vincat. Priùsquàm optato coronetur eventu, iterum in Stygios incidit Prædones, quos reassumptîs à Crucifixo viribûs tollit. Acceptô post Parisiensis consensu Antistitis, Arenam aggreditur Philosophicam, in qua ita certavit; ut ipsi par fuerit Stagiritæ. Alios Compalæstritas Logicales pungebant Spinæ, has *D THESEVS* sui ingenij acumine, sibi in triumphales laureas transformabat. Gordiô implicatiores perplexitatum nodos promptiùs acutâ mentis acie resolvebat, ut olim districtô Alexander mucrone. Superatîs difficultatibûs Philosophicîs, Theologicarum Scientiarum arcana ita subtili scrutabatur inge-

 tur inge-

tur ingeniô, ut etiam occultissima Cælorum penetraverit Mysteria. Tanto certamine Victor, Philosophicîs redimitur laureîs. Meritò post tantos in Arena Scholastica conflictus, laurô, emerita debent vinciri tempora, ut Herculeîs fatigata laboribûs, maneant tutiora. Voluit conspirata, innatâ modestiâ superare vota, sed meritîs & authoritate Majorum victus, Caput aurô cedrôq; notandũ eruditæ submisit coronæ. Renuntiatus Parisiensis Doctor D. IOANNES de MATTA, etsi ex se vocalis, in Doctoralibus tamen Exedris resonat vocalior; Cujus gratiosam vocis resonantiam stupet Peripatus. Numerosam Auditorum cohortem nactus, in hoc tantùm illorum à primordijs captivavit animos, quòd priùs noscere DEVM demandavit: facilè (inquiens) alias percipietis scientias, si DEUM noscetis. Parent erudito Chironi novelli Achilles, *DEUM* pro primo statuendo Objecto, quibus dum mediante DEI lumine perplexa Philosophiæ evolvit arcana, mentes ad captum resolvit; vel si aliquorum crassâ oppressos ignorantiâ advertit animos, ita eosdem plana explicatione evicit, ut ipsis intima rerum paterent luculenter. Aliorum mentibus spinîs obvoluta Logica caligo est, sed explicante *JOANNE*, sole clarior enituit. Cornuta ita docuit formare dilemmata, ut îjsdem scelera arietare, Inferni sævitiem expungere, Mundumq; rebellem possent expugnare. Solida quoties explanavit argumenta, toties protensîs eorum filîs, mentes & animos audientium, è Labyrintho ignorantiæ eduxit. Personuit aures Antistitis Docto-

ralis

ralis Ejus eruditio, quam Ecclesiæ proficuam videns, non contentus, quòd Eundem ad Doctoralis Eminentiæ evexerit fastigium, ad Regale vocat IOANNEM Sacerdotium. Nec immeritò, de hoste mentibus infenso ignorantia triumphavit, ergo ut animas captivitate detentas pijs eliberet precibũs; est necesse. Imperterritus THESEVS, qui toties Antæum superavit Orbem, toties carnis edomuit Scyronem, toties horrenda Averni debellavit monstra; ubi ad Sacerdotalis dignitatis excurrendum est fastigium, trepidat. Strenuus olim, nunc passum movere non audet. Aude tamen & audi quò Te vocant Superi, *THESEVS* es: post tot expedita certamina, DEO litare debes. Fecit itaquè D. IOANNES, quod boni jussêre Divi. Tremendum dum primò Néó-Mysta DEO obtulit Sacrificium, ad elevationem Sacratissimi Corporis, Angelum veste candidâ adornatum, cum duobus captivis in Altari apparentem, non sinè spectantium stupore observavit. Tàm prodigiosâ visione perterritus D. IOANNES, dum mentem devotam in Cælum elevat, in exstasim rapitur. Didicit Spiritu in Cælum raptus admirandæ visionis Mysterium, quod post oblatam DEO victimam urgenti Præsuli, alijsq; Viris eximijs cum summa demissione animi manifestavit. Me (inquit) Superi volunt novam sub Titulo Sanctissimæ TRIADOS instituere Regulam, è dura Barbarorum Tyrannide, Christianorum Captivorum Redemptricem. O stupendam D. THESEI Sanctimoniam! quæ ad venerandum Missæ Sacrificium ipsos Spectatores

 convo-

convocavit Angelos. O inauditum visionis Mysterium! quod Ipse Omnipotens, Spiritu in Cælum abstractô, revelavit IOANNI. Habuit Atlas bajulando Orbem, Succollatorem sui Herculem, T.O. Maxim' Atlas, qui tribûs digitîs totam Universi sustentat molem, ad obeundum Redemptionis è captivitate Barbarorum munia, THESEVM adinvenit IOANNEM. Sic ordinante celsi Moderatore Olympi, Giganteô IOANNES tendit Romam passu, ut prodigiosum visionis Secretum Orbis Christiani Capiti INNOCENTIO III. referret. Necdum in Septicolli Vrbe stetit IOANNES, iam Summo Pontifici per Angelum præsentatus, necdum visus, jam vitæ Sanctimoniâ notus. Ad pedes Triregiati provolutus Capitis, miras reverenter apparitiones cum testimonijs exponit, earumq; prodigiosa, instituendi novam sub Titulo Sanctissimæ TRIADOS Regulam, Captivorum Redemptricem, Mysteria, sibi à DEO revelata explanat, ac enarrat. Tam stupenda explanatio cor & animum Summi penetravit Pontificis, & ad annuendum commovit. Stupet narratîs commotus miraculîs, Narrantis admirandam modestiam, & modestam vitæ innocentis miratur INNOCENTIUS Sanctimoniam. Favet attonitus dictis, revelata gratô animô cum IOANNE suscipit Mysteria: Vt expeditiùs in Captivorum subsidium de alta Quirini Vrbe properet D. IOANNES, Cardinalitiæ Ejus negotium admovet Rotæ. A DEO stupendum hoc autumantes prodigium purpurati Proceres, una voce concludunt; ut sinè mora expe-

ra expediatur IOANNES. Brevi INNOCENTIUS D. IOANNEM de MATTA novum Patriarcham creat, creatum veste candida juxta apparitionem Angeli bicolori insignitâ Cruce ornat, ornatum, Institutorem Ordinis Regulæ Captivorum Redemptricis sub Titulo Sanctissimæ TRIADOS pronuntiat, pronuntiatum cum Papali benedictione Parisios remittit. Redit bonîs Avibûs Lutetiam non sinè expectantium plausu Patriarcha Novus D. IOANNES de MATTA, authenticè approbatas à S. Sede Apostolica literas pro instituendo Novo Ordine, Captivos è dura Barbarorum Tyrannide redempturo, Parisiensi Antistiti exhibet. Excipit condignè D. IOANNEM Præsul, receptîsq; approbatîs literîs Patriarcham agnoscit, agnoscendo promulgat, & ut quantocius miseris subveniat, Asceterium fundare permittit. Antequàm prima fundamenta jecit D. Patriarcha, se profundissimè, præmissâ strictâ inediâ, coram Numine inclinavit; ut citiùs intentata resurgeret moles: Cæpit feliciter à primo latere *Cervi Frigidi* Asceterium, Ipse igne Divini ardens amoris, & non tardus ad succurrendum IOANNES. Cujus ideo in Monte Prodeliæ fundamenta posuit, ut ex illius cacumine à longe invinculatos prospiceret Captivos, & commodiùs querulantium, auribûs perciperet singultus, quibus velociùs de cacumine celso auxilium ferret; non ignarus: quòd ejulantium voces sursum pro auxilio tendant. Ast de mente Innocentij III. contra illam Gigantomachiam, quæ Ecclesiam Diocliæ Dalmatiæq; infestabat, Sanctior

D Triarius

Triarius verusq; THESEVS ſtetit, poſtquam zelô Divini amoris accenſus omnem Hæreſim extinxit, necnon in Labyrintho errorum exiſtentes ad veram fidem deduxit. Abit ultra, quò Ipſum Divina à teneris vocatio traxit, ut gemẽtem vinctorum turbam è Barbarorum ſervitute eliberet. Nudô iter arripit calcaneô, ut citiùs querulantibus ſuccurrat. Siſtit fauſtô pedemate Valentiæ, & cùm mancipatos ore diſerto evincere nequeat; expetitò ære reſolvit. Hìc ſpectate prodigium, cùm Alphonſi, & Sancij Caſtellæ & Navarrhæ Regum, ad redimendos omnes non ſuffecit IOANNI liberalitas, Regis Regum compenſavit munificentia, quâ miraculosè in Altari celebranti *JOANNI* expoſitâ, cæteros liberavit. In uno ignarus diu quieſcere loco, vinculorum percitus tinnitu, celeri paſſu Tunetum properat, ſe ſponte inijcit periculis, Sanguinem innocuum pro eliberandis fundere paratus, huic maximè intentus; ut cruentô Ejus profluviò in portum aureæ poſſint enatare libertatis. Sed eheu! incidit in Scyllas qui evitavit Charybdes. Non poſt longum temporis ſpatium, in torridam, humano nunquàm ſcientem manſveſcere cultu, divertens Affricam D. Patriarcha, cùm Tantaleã Maurorum eſuriem nummìs ſatiare non poſſit, ſeipſum juxta proprij Inſtituti Regulam, libenter tortuoſo ingerit Labyrintho. O zelum amoris proximi inæſtimabilem! o admirandum vindicandi mancipatos ardorem! ut illi aurea libertate fruantur; Ille ferream ſervitutem ſubit. Ergo jam ex tam ſinuoſo captivitatis anfractu, horrendoq; difficultatum

evaſu-

evaſurum nunquam ſupponitis Labyrintho THESEVM? minime: adeſt Sanctior Ariadna MARIA, quæ exporrectô aureæ gratiæ filô eliberat IOANNEM, adeò; ut cùm Ipſe liber evaſerit, nec quenquam tanta pati ulteriùs tormenta permiſit. Tantæ ſpolium victoriæ Romano invecturus Capitolio, dum onuſtam eliberatîs Captivîs ſolvit à littore claſſem, veſanus Maurorum furor tantum IOANNI invidendo triumphum vela remosque deſtruit, & cùm ipſe evincere non potuit THESEVM, procelloſo Mari devorandum commiſit. Sed eluſit maleſanæ conatus veſaniæ, minacesq; aſpectantium evicit oculos, dum applicatô pro velis Palliô, faventibûs deſuper Zephyrîs, Eurô ocyùs, quia ſex horîs quadringenta milliaria confecit, Romæ conſiſtens trophæa canit. Reſonuit D. THESEI ſat plauſibile per Quirinam Vrbem trophæum, quod poſtquam Summo innotuit Pontifici, tantam victoriam admiratus ſtupuit, ſtupendo; exantlatos humeros magnîs exambit præmiare Titulîs, ſed D. Patriarcha coruſcô, intaminatæ Virtutis contẽtus ſplendore, honoribûs ornari non prætendit, nè dignitarîjs in dando vinctis auxilio oneretur faſcibûs, qui & dexterrimos perſæpè conſtringunt Bellatores. Parcendum eſt Beatiſſime Pater D. THESEO, quòd celſa honorum faſtigia ei ſint faſtidia; timet enim ne hîs oneratus in ſuccurrendo miſeris fatiſcat. En plus quàm Mæduſeum caput, tartareis proſiliens ex antris Albigenſium Hæreſis, gentem DEO dilectam tortuoſis mancipavit ambagibus, adhuc os ſuum aperit, ut unô venenoſæ doctrinæ

 hiatu

hiatu abſorbeat Vniverſum. Vt ergo in hoc negotio promptior reddatur THESEVS, magnîs non vult honoribûs premi, quamvis maximos promeruerit. Iam non inſtat cum honoribus Innocentius, nè in Ejus peccet Sanctimoniam, quâ omnes exceſſit Titulos; ſed urgere non deſinit, ut ingens portentum Albigenſium enecet Hæreſim. Celer in tanta prælia obtemperat Innocentio, pietatis umbone & probitatis armatus clypeô, contra horrendum Hæreſeos procedit Minotaurum, qui vix ferientia Sapientiæ D. THESEI præſenſit acumina, more Lerneæ immugijt Hydræ, Herculeam potentiam ratus; ſed fortiorem THESEVM expertus. Malleum, contra Hæreſum monſtra, non in Vulcani officina cuſum, ſed in Æthna Divini amoris elaboratum, auſim dicere IOANNEM; ni THESEUM probarem, qui ardenti Orthodoxæ Fidei & Oéconomicæ Eccleſiæ propugnandæ zelô, adeò flagrantiſſimus extiterat, ut eandem ad effuſionem Sanguinis cum propriæ diſpendio vitæ, imperfractus defenderit. Langvebant non fucato Chriſtianitatis, & Virtutum candore fragrantia Regni Galliæ Lilia, quæ furens Saracenorum undiq; adurebat Gradivus, ſed tam intollerabili incendio vix ſcutum pietatis oppoſuit *D. THESEVS*, illico preſſa langvore, priſtino reſtituit vigori, & ab ingenti Gradivi æſtu liberavit. Clavam Religioſæ Crucis dum vexillis Galliæ militaribus appoſuit, mox plumbea Mavortis fulmina, cum ingenti ſtrage in hoſtes retorſit, PHILIPPUM Galliæ Regnatorem triumphare fecit. Memor magni Hiſpania

trium-

triumphi, cui in dandis contra Maurorum potentiam ſuppetijs, celer ſuccurrit *THESEUS*, Alphonſum Regnantem ex ærumnoſa obſidione liberando. Victor ubiq; *JOANNES*, in Sacris Exedris quoties fulminantem egit Periclem, toties corda & animos à ſcelerum ſervitute liberavit. Sacri Sermonis quoties exordium duxit, toties terminale exodium peccatis impoſuit. Divinô animatus Entheô, quoties coram Summo Pontifice & Sereniſſimis detonuit Regibus, toties igne Divini Amoris eorum corda accendit. Quoties ignita adhibuit verba, toties congelata populi pectora in fontes lachrymarum reſolvit. Multis in locis Triumphatorem ſpectaſtis *THESEVM*, nunc Eundem in Mari ſpeculemini Victorem. THESEVS ille erat in eliberandis Captivis Redemptor, & nè unquam eſſe deſineret, Ampliſſimum ſub Titulo Sanctiſſimæ TRIADOS Inſtitutum teſtatur. Ampliatâ Religioſorum Familiâ, ac explicatâ illis ſui Ordinis, necnon Vocationis Regulâ, eoſdem ad vitæ Sanctimoniam, & exercenda Redemptionis munia inſtruit; Ipſe Canon Virtutum & fervidus in redimendo Zelator. Obediunt Religioſi Cultores, partim Vocationi, & ſui Patriarchæ nutibus reſpondentes, partim amore proximi accenſi, varias Orbis Regiones peragrant, invinculatos è dura Barbarorum ſervitute, expetitis Elèemoſynis reſolvunt. Ac tandem, redit in Patriam lætum Pæana canens numeroſa Redemptorum cohors, præeuntibûs Gvilhelmô Scotô, & Thomâ Gvalterô Religiosîs Ducibûs, ubi vix ſpumanti, onerariam Redemptîs

committunt pelago ratem, illico conjurata ventorum rabies cum insolenti Tethyde, adversùs Religiosos Heròés turbinibûs furit, tumidasquè Nerei jactat procellas, ut omnes cæruleo dent Nomina Ponto. Proh dolor! cedunt cum Redemptis, in spolium undis Religiosi Victores, quibus indignata Tethys, jam periclitantes sinuosîs anfractibûs ligat, ligatos in profundos Maris carceres mittit. Ergone jam æquoreis *D. THESEI* Cultores cedent in spolium undis? ergone ex fluctibus redemptio nulla? minime; Properat remotissimis ex Oris cum subsidio D. Patriarcha, suorum Sodalium nefandam ulciscitur contumeliam, tempestates sedat, indignatamq; Tethydem calcaneô premit, periclitantes æquoreis liberando à fluctibus, in littore sistit. Angelum in carne dicerem IOANNEM, ni hominem nossem; qui siccô pedemate æquora calcat, & periclitantibus è longinquo in ictu oculi succurrit. Plura egit D. IOANNES, quàm imbellis Oratoris svada, exiguâ periodô narrare potest, Cujus intaminatam Virtutem, Vitæ Sanctimoniam, propagandæ Fidei zelum, & Captivorum amorem, si dignè deprædicare vellem: Angelicô conceptu opus esset. Aut si omnia Ejus gloriosè gesta per omnes Vniversi partes sequi satagerem, Rhetorica non sufficeret gradatio, sat ingenti Virtutum Ejus fatigata magnitudine; licet laudum Illius non attigit Celsitudinem. Tantîs ergo Virtutibûs clarus, innumerisq; gratijs Cælitùs sibi datîs illustratus, totq; fulgidus miraculîs; cùm jam amplissimum suorum Successorum vidisset Ordinem, diffusaq;

fusaq; per Orbem ad promovendum DEI honorem, & redimendos Captivos centum ferè Ascetería, DEO egit gratias. Convocatis suæ Religionis Prioribus, amorem DEI & proximi præmissa benedictione Paternâ, commendavit. Ipse post tot, pro honore DEI & Redemptis Captivis triumphales victorias, ad Cæleste properavit Capitolium; æternam Coronidem recepturus. Ad Cujus gloriosum ingressum, Ipse Christus Dominus in globo lucidissimo visibiliter præluxit. Tendentem in Patriam D. IOANNEM altiùs Oratoriâ Viator non prosequor pennâ, nè sursum evolando Icariam recordiar ruinam. Hinc Vestra est ingens felicitas, & non postrema honoris adorea, vera D. Patriarchæ Progenies Religiosissimi Patres; quòd tantum habeatis THESEVM, qui Vobis ad Heroicos prælusit ausus, illustri Virtutum & Sanctimoniæ splendore, perennis gloriæ meridiem accendit. Non degeneres Vos, à Magno Patriarcha Vestro Orbis universus veneratur Filios, qui zelô Orthodoxæ Fidei & amore proximi accensi, etiã cum dispendio vitæ semper similia peragitis munia, pro DEI honore certando. Vestri Nominis etymum ipsi Plutoni metuendum, quem Clavâ Crucis, quam candidô geritis pectore, ad subterranea multoties fugastis cubilia. Certare vobiscum nunquam intendit, quos strenuos in acie agnovit Herões. Militans in terris Ecclesia de omni irruentium malorum triumphat Labyrintho, Vos scutô Pietatis, & Sapientiæ armatos acumine, habens sui honoris Evictores. Insistitis D. Patriarchæ vestigijs, unde Cælum ipsum Vobis

ad faustissimos captivetis successus. In ampliora Vobis non excurro præconia, nè Vestram modestiam lædere videar: satis ad gloriam erit, Vos, Magni Patriarchæ Vestri D. IOANNIS de MATTA, genuinos Filios venerari. Tibi vero D. IOANNES in votivam imbellis dictio cedit Hecatomben, & ut ejus demerita Redemptor eluas, implorat. Libertas Poloniæ Tibi se in perpetuum devovet mancipium, nè aliquando fiat captiva. Cracias Turres visita gratiose IOANNES, easq; ab irruenti malorum impetu defende. Almæ ingeniorum Altrici Vniversitati Cracoviensi felicitatem fac obligatam, ut sub signo Sceptriferæ Crucis semper de adversis triumphet. Omnes Tibi devotos Cultores aureá permitte libertate gaudere, nè unquam adversorum implicentur Labyrintho; THESEVS esto: quem Tui Venerator deduxi, &

DIXI.



